Nor 458.

CURRENDA III.

A. D. 1857.

Nr. 144.

Exstimulatio ad collectiones pro Societate S. Bonifacii, et praenumeratio.

Consociationis S. Bonifacii Directio Litteris Paderborn de 3. Dec. 1856 ad Nos datis relationem super progressu; nec non super perceptis ac expensis e 2. trienniis ab A. 1850. — 1855. adjecit, ex qua laetam hausimus notitiam, in 1o Triennio (1850. 51. 52.) summam 50.872 thal. 24 arg. gros. &c. et ex ultimo (1853. 54. 55.) 91.784 th. 8 gr. arg. collectam; rursus quotam 86.333 thal. 12 gros. &c. hocce 2o triennio in sustentationem 36 stabilium Missionum, 39 scholarum et 9 excursionum ad curam animarum, attamen exinde 7.041 th. et 15. gr. in elocationem conversam fuisse. In illa redituum quota exhibetur tantum summula 48 th. 13. gros. &c. e Dioecesi Nostra... quae ut augeatur in posterum, provocatio Nostra praesens, Ven. Directionis supplicatio, fidelium suffultorum et prolium aeducatarum precatio, gratia benedictionis div. commoveat Dilectos Diœcesanos, qua fœderatae Germaniae vicinissimos. Non libera solum oblatio bonum hujus Consociationis promovebit, verum et praenumeratio Concionum Dominic. praeclararum, quae in Archi-Diœcesi Coloniensi sub titulo: Predigten auf alle Sonntage des Kirchenjahres von Jos. Martin Mentges recuduntur, ac erga pretium 1. thal. et 20. gr. arg. seu 2. fl. 30. xr. C. M. submittentur; nam lucrum exinde cedet Societati S. Bonifacii.

Ven. Clerus opus homileticum tantopere laudatum ob duplicem finem praenumeraturus, ad exordium m. Mart. a. c. quotam citatam horsum immittere properabit.

Nr. 330.

Severa admonitio quoad accelerandas officiosas correspondentias, et poena irroganda.

Frequentissimae intercedunt correspondentiae Nos inter atq. Vos Ven. Fratres! aut C. R. Subsellia varia; nec non a Nobis aut memoratis Subselliis saepe terminus praefigitur, intra quem eliberatio superanda injungitur. A celerrima accurataq. illarum expeditione non honos tantum plurium aut Consistorii, verum commodum jam Institutorum, jam individuorum dependet saepenumero... Et rursus diligens exhibitorum solutio jam reverentiae jam obedientiae penes Ordinationem et Institutionem Eppo aut Ejus Consistorio religiosissime sponsae manifestum est indicium, benedictionemq. Eppalem annexam habet. Sed pro dolor! tanta haec motiva nihili a pluribus Xti *unctis* penduntur... non obstantibus obsecrationibus Nostris variis jam penes singula Exhibita, jam in Currendis, et in specie in Cur. V. 1854, sub Nr. 1548 ac in C.

IV. 1855. sub **N. 1086.** ad Ven. Clerum emissis... nam plures sine adursione non una, sed repetita vix injuncta eliberant, aut si aegre ad id negotii se accingunt, leviter, nam mance rem absolvunt, Nros resp. provocationum non citant &c. &c. quo fit, ut rursus pro completione reacludatur oportet, et ejusmodi manipulandi modo jam Perill. Offa Decanalia, jam Consistorium molestantur, praeprimis tunc, quando negotium aliquod ad Altiores Altissimasq. Instantias intra praefixum terminum expediendum restat, et non raro ob unam e Decanatu relationem retardatam totum operatum seu relatio super statu quorundam institutorum ad plures usq. menses ultra terminum protrahitur, expensae et Cancellariae Nostrae, et aerario publico causantur, acta documentave saepe post intergressam mutationem oblivioni traduntur, disjiciuntur, amplius Coo non resignantur, quo in casu negotium rursus de novo cum nimia temporis ac laboris jactura tractandum venit; insuper exacerbationes Condecanalium adversus resp. Decanos, qui officii sui memores, aut ab altioribus Instantiis adursi *nuntios poenales* ad Eos emittere coguntur, quos frequenter solvere recusant, enascuntur; querimoniaeq. C. R. Subselliorum ob tantam nonnulorum in expediendis negotiis publicis incuriam audiuntur, ut silentio premamus grandem coram Deo idcirco praevaricationem jam ob frequentem renitentiam, jam ob juramenti laesionem in puncto V. jurisjurandi sub Institutione in manus Ordinarii aut Vicarii Ejus coram Xto Xfixo, Magistro ac Judice Nostro strictissimo depositi, quae eo magis animum Nostrum consternit, quia saepe accidit; quia in consuetudinem abiit; quia flocci penditur, et ideo vix aut non condigne expiatur, atq. cum tanto conscientiae onere fœdo ad mensam Domini cum Juda proditore accedere quotidie non verentur.

Ejusmodi tetra quorumdam depravatio, atq. negotiorum publicorum calamitas &c. saluti eorum nec non utriusq. Reipublicae consulturi iterum obtestationes ad Ven: Clerum emittimus, quatenus cuncti hoc in negotio memores juramenti ac funestarum ejus infractionis sequelarum, memores famæ suae et Coi; commodi privati aut publici, Dispositiones Nostras mediatas aut immediatas; Requisitiones C. R. Subselliorum tum *praefixum* intra *terminum*, tum si terminus non fuerit expressus, intra *unius saltem mensis curriculum* certo certius eliberare studeant, nam secus si demandata intra hocce tempus non solverint, aut tempestive prolongationem haud impetraverint, *Tarnoviam* pro restantium superatione examineq. e variis citabuntur, aut aliis mulctabuntur. Perillustres Decani hisq. requiruntur, ut in Currendae hujus concomitatione Condecanales ad hocce argumentum attentos reddant, imo penes singulam Currendarum expeditionem si non ad omnes, ad illas saltem materias reflectant Suos, quae majoris sunt momenti, nam etiam hoc accidere solet, quod haud pauci Currendarum ipsarum tenorem perlustrare, eo minus explere horrent; ac eas recepisse contenti ad collectionem reponunt.

Insuper demandamus, ut *restantias in fundationalibus quascunq. a pluribus retro annis in Decanatibus hærentes intra c. annum et quae a 2. annis extant, intra 1. mensem consummare adlaborent, ne inamaenitates supra expressas persentiscere velint.*

Perillustres Decani, oculi Nostri, utinam semper vigiles! restantiarum evidentiam semper habeatis, poenales ultro emittatis; desides, renitentes frustra admonitos deferatis, labori

circa Esiae et Civitatis et Condecanalium bonum ultro insudetis, quem si e parte Nostra remunerare non valeamus, Deus ter optimus Maximus larga manu rependere dignetur.

Meminerint cuncti sublimis muneris, quo funguntur, ac vinculi intimi, quo inter se jungamur, non vero aliqua ordinis disharmonia dividamur, ne amplius *ministerium Nostrum vituperetur*, ne quis calcitronum mercedem reportet.

Deniq. pro majori adhuc excitatione ad singularem in expeditionibus diligentiam, nec non ad recolligenda varia, quæ sub Institutione juramento obfirmata sunt, aut obfirmabuntur, integram ejus formulam hic adjiciendam demandavimus.

Juramentum a Praesentato et Investiendo Parocho in manus Ordinarii etc. deponendum.

„Ego N. N. pro Parochia in N. N. neo investiendus parochus juro:

I. Quod Illustrissimo Domino Josepho Alojsio, Eppo Tarnoviensi, Ejusque Successoribus canonice intrantibus, sede vero vacante, Venerabili Capitulo obedientiam, reverentiam et subjectionem servare, præstare, ac curam animarum fideliter administrare velim.

II. Quod de bonis ad Ecclesiam meam pertinentibus, inconsulto Illustrissimo ac Rdissimo Dno, et sine licentia summi Principis nihil alienare sed taliter alienata pro viribus recuperare velim.

III. Quod in petitione, sollicitatione et acceptatione hujus beneficii nullus contractus vel pactum, nullaque fraus, aut dolus, vel simoniæ labes interveniat.

IV. Quod non velim esse in consilio vel facto, ubi de Illustrissimi ac Rdissimi vel Ecclesiae suae incommodo vel damno agitur vel tractatur, vel quod membrum aut vitam perdat, sed quamprimum hoc vel aliquid tale ex aliis audivero, seu intellexero, deferam ad aures Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.

V. Ubi ex officio devenerint ad me literae, citationes et mandata, quod ea cum omni obedientia et reverentia recipere et fideliter exequi velim.

Hæc omnia supradicta me servaturum spondeo, voveo ac juro, sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Evangelia!

Nr. 361.

De officio Venerabilis Cleri intra quadrag. tempus.

Ductus Jesus a Spiritu in desertum, ob exemplum et salutem nostram quadraginta diebus ac noctibus ibidem jejunabat, orabat, cum hoste dimicabat, praeparationis quasi ergo ad munus magisterii redemptionisq. certe gravissum; et ab eo tempore sponsa Ejus Esia ducit nos quotannis in desertum, ut nempe deserentes mundum cum ejus voluptatibus *in commessationibus, et ebrietatibus, in cubilibus et impuditiis, in contentione et aemulatione induamur arma lucis et ipsum Dnum nostrum Jesum Xtum.* Epist. ad Rom. XIII. jejunan-

tes quoq. 40. diebus ac noctibus, orantes, passionem Xti ac patientiam recogitantes, dimicantesq. adversus nostrae salutis hostes praeparemus animum nostrum ac Nostrorum ad celebrandum imo manducandum pascha *cum discipulis Domini in azimis sinceritatis et veritatis*, quin imo eadem sponsa *bis* in hebdomade et *ter* in fine omnis quartalis, nec non ad anni Estici exordium per 4 septimanas ad id generis mortificationem, pietatemq. invitando obstringit, mediumq. suppeditat tum exercitii in virtutis tramite, tum piaculi pro peccatis commissis, tum gratiae irrigantis ac proemii.

Appropinguante ergo Quadragesimalis jejunii tempore officii Nostri esse ducimus, Ordinationes quoad officium Ven. Cleri eo religiosissime explendum, quotannis emissas in memoriam revocare, quas non minus ac sequentem attente perlustret, ac in effectum deducat.

Vocati ad sacerdotium Jesu Xti, praeprimis illi, qui munere pastorali funguntur, dum omni tempore assidui in vinea Salvatoris operarii pro salute fidelium curas et labores omni sollicitudine adstringere tenentur, maxime durante quadragesimalis jejunii passu, quum circa recollendum dominicae passionis memoriam ac jejunium pugnamve omnia in Esia fidelium animos sensu pietatis et religionis impleant atq. ad Deum excitent.

Isthoc ergo tempus *acceptabile* et *tempus salutis*, animarum Rectores praeprimis ad talem fidelium cinerum impositione poenitentiae mancipatorum devotionem, quae eorum mentes ad cœlestia flecteret, impelleret et ad vitæe mendationem ac virtutis omnis generis studium duceret, eisq. veram salutem pararet, convertere adlaborabunt.

Hanc singulis ad animarum curam vocatis obligationem, pro sollicitudine muneris Nostri inculcare tenemur eumque in finem ipsos praemonitos esse volumus, ut: 1. Praescriptas catecheticas conciones de V. poenitentiae Sacr. conditionibus, de dignitate ac effectibus e mensae cœlestis participatione antemeridianas, nec non conciones passionales pomeridianas et devotiones quadragesimales omni studio cum unctione pro fidelibus instituant, Ipsiq. devotionis exercitiis praeluceant. 2. In consuetis catechisationibus nullo praetextu intermittendis parvulos et praesentem populum ad sacramentum poenitentiae et dignam Corporis Christi susceptionem praeparent, nec non inculcent obligationem servandi jejunii quadragesimalis quoad *qualitatem* et *quantitatem*, cum una refectione, &c. &c. 3. Quodsi vero quipiam justis ex rationibus ab obligatione servandi jejunii quod qualitatem certis diebus dispensari petierint, parochi suos dispensare hisce authorisantur, videlicet secundum normam a Praedecessoribus Nostris praescriptam et hucusque hac in Diœcesi (4. diebus in heb. attamen nunc ultima hebdomas magna a dispensatione excipiatur) observari solitam, imponendo alia pia opera in legis relaxatae recompensam, preces pauperibus, ast opulentis praeterea eleemosynam, oblationem in Esiae decorem &c. Cavebunt attamen a promulgatione dispensationis gratiae in pagis et oppidis &c., in quibus toto ferme anno ob penuriam viget abstinentia a carnibus, atque idcirco ab antiquissimis temporibus in quadragesima jejunium eorum consistit in abstinentia a lacticiniis, et tam pia consuetudo, ut quoque nunc, ubi longe major depravatio irrepsit, religiosissime

servetur, poenitentiae Ministri omnem lapidem movebunt inculcabuntq., ut praeter ejusmodi jejunium studeant quoque a peccatis jejunare, imprimis a potatione, quae juxta novellas in dies magis ob majorem Dei in frugibus benedictionem serpere observatur, quatenus impleatur, quod saepius petimus, *ut familia... quae se affligendo carnem, ab alimentis abstinet, sectando justitiam, a culpa jejunet...* ne secus jejunii hujus duplicis violatio ob defectum debitae instructionis vigilantiaeque in Pastorum caput impingat, qui nunquam non Salvatoris sui tremendam sententiam: *Si poenitentiam non egeritis, omnes peribitis.* Luc. XIII. 3. 5. Sibi et aliis in memoriam revocare tenentur.

In servanda autem jejunii quadragesimalis obligatione non dubitamus DD. Parochos et reliquum Clerum exemplo praeituros; quodsi vero nonnuli eorum gravibus ex motivis dispensatione indiguerint, eam a suo respest. Perillustr. Decano petere obstringuntur, Decani autem pro se, item Conventus religiosi utriusque sexus petitiones eo obtutu Nobis exhibere tenentur. 4. Indigentiis quoque spiritualibus consulere cupientes tempus absolvendae confessionis paschalis, ut in numerosioribus parochiis commode universi eandem absolvere valerent, ita prorogamus, ut a Dominica Quadragesimae tertia incipiat et usque ad festum Ascensionis D. N. J. C. perduret. Pollicemur Nobis fore, ut jam penes distributionem schedularum pro confessione pasch. respectivos examinetis; jam ante ac post Communionem preciunculas aptas aut Ipsi recitetis aut per idoneos recitari faciatis; nec non verba energica exhortationis instar ad mundatos, quo magis in propositis, juncti cum Salvatore Duce persistant, faciatis.

Haec impense commendantes, precesq. ac hostiarum immolationem pro Cunctorum Nobis Commissorum salute promittentes, nil magis in votis habemus, quam ut integro hujus sacratissimi temporis tractu illi Breviarii versiculi, quos bis vel pluries de die psallimus: *Angelis Suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, apud Nullum Vestrum effectu destituantur; quam ut mortificatio et dimicatio Deo acceptabilis juxta tenorem Lect. ac Evang. Cinerum et Dom. I. Quad. &c. nec non Breviarii pro hocce tempore succedat, salutemque adducat!

Nr. 334.

Quando Litterae baptismi ac sepulturae ante Copulationem praeprimis comportandae.

I. Quoad baptismale. Saepe accidere solet, ut a sponsis, non in parochia copulationis, sed alibi natis, etiamsi aetas vel origo eorum aliunde nota; aut a viduis, quorum alterius conjugis obitus extra dubium positus sit, comportatio Litterarum matricalium, sine expensarum consideratione, a partibus expostulatur. Paragraphus Instructionis de causis matrimon. §. 70. ex parte Esiae nonnisi tunc exigit praesentationem testimonii Baptismi, quando *œtas et origo* sponsorum *ex libris parochialibus colligi* haud *possit...* His verbis duplex comportationis exprimitur scopus *a.* ut *aetas* resciatur; seu utrum puberes majorennes, an minorennes sint; *b. origo*, seu: locus natalis, si agitur de eruendo proprio parocho aut vero nomine &c. &c. et *religio*, si de peracto baptismate, aut religionis confessione dubium exoriretur.

E parte Civitatis in §. 78. Cod. civ. tunc expostulatur Baptismi testimonium, quando sponsorum majorennitas extra dubium collocata non est. (deren Volljährigkeit nicht offenbar am Tage liegt) Si autem pater, vel Instantia pupillaris post Curatoris declarationem in dubii casu, num pars, haec illave majorennitatem assecuta sit, consensum ad matrimonium praeberent, sponsi ad exhibendum Natalium Extractum pro casu, si aut difficultas consequendi ejusmodi exsurgeret, aut necessitas copulationem accelerandi urgeret, haud tribulentur. Secus si tergiversatio ex parte politica ad exarandum Consensum obesset, ad loci Ordinarium pro consequenda dispensatione a Baptismali prius confugiendum foret, qua obtenta libellus supplex adhuc juxta §. 21 Ap. I. dirigendus esset ad Exc. C. R. Provinciale Regimen aut C. R. Offum Circulare pro acquirenda dispensatione ex parte quoq. politica, cui attamen adnectendum restaret Instrumentum dispensationis Eppalis. Penes hanc occasionem commemoramus, semper quotiescunq. in eodem impedimento e. g. consanguinitatis vel affinitatis, quod et ab Esia et a Civitate statutum est, dispensatio petenda foret, prius gressus ad Potestatem Esticam eo obtutu dirigantur, et postea secuto favorabili effectu ad Potestatem politicam, accluso dispensationis Esticae documento.

Baptismus aut *confessio* conjicitur e parentum consanguineorumq. religione probitateq.

II. Quoad sepulturae Extractum. Si Parochus copulaturus gauderet certitudine de obitu alterius conjugis, quam nactus esset e. g. constitutus in loco obitus, aut fungens ad funeris ejus Exequias in aliena parochia &c. necessitas vix adesset, Extractum subsecutae mortis exigendi, ast secus si ejusmodi personalis deesset convictio, omnis cautela adhibeatur testimoniumq. obitus expostuletur.

III. Quid, si mors est dubia? Paragraphus 246. Instructionis desuper haec statuit „Quum sanctum et inviolabile sit conjugii vinculum, ad secundas nuptias nemo admitti potest, nisi de conjugis morte probationes afferat, quae omne prudens dubium penitus excludant. Ea quae ad moralem mortis certitudinem stabiliendam tendunt, summa cum cautione pertractanda, verum haud absolute rejicienda sunt. Fieri potest, ut ex rerum adjunctis plene probatis moralis oriatur certitudo, conjugem in vivis haud amplius agere, licet desint documenta vel testium depositiones, mortem subsecutam jam esse, confirmantes. Quodsi absentis cujusdam conjux talia afferat, quae rarissimum hunc casum (mortis) adesse probabile reddant, commonendus est, ut praevie *civilem adeat magistratum* (Władza Krajowa) cui ampliora suppeditant factum explorandi media et cujus est, mortis declarationem quoad effectus civiles edere.“*)

*) Quaesitum, quid agendum sit de mulieribus, quae viros suos causa captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium praestolatae fuerint, nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem: et pro juvenili aetate seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari. Responsum tale consultationi: Quod quantocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec auctoritate Ecclesiae permittatis contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.

Interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et

§. 22. Ap. I. ex parte civitatis haec edicit: „Kto związanym był węzłem małżeństwa, nie może do nowego małżeństwa być przypuszczonym, dopóki nastąpione rozwiązanie pierwszego nie jest dowiedzionem. Dowód, iż małżeństwo przez *śmierć rozwiązanem* zostało, może być zastąpionym przez *ogłoszenie zgonu.*

Ale kiedy i jak? §. 23. Odz. I. „Jeżeli jeden małżonek nieobecnym jest przez ciąg czasu, jaki w §. 34. *) cywilnej księgi ustaw jest przepisany, a zarazem nieobecności jego towarzyszą takie okoliczności, które żadnej nie pozostawiają wątpliwości o zgonie życia jego, natenczas pozostały małżonek wnieść może żądanie do trybunału (Gerichtshof) w którego okręgu ma mieszkanie swoje, ażeby celem nowego zawiązania małżeństwa nastąpiło uznanie, iż nieobecny za *umarłego ma być uważanym.*“

Procedura tegoż Trybunału. „Po wniesieniu takiego żądania ustanawionym zostanie kurator dla wywiedzenia się o nieobecnym, który przez edykt zapozwanym będzie z tem dołożeniem, iż w razie, gdyby w przeciągu wyznaczonego terminu w sądzie nie stanął, lub temuż innym sposobem wiadomości o swojem życiu nie udzielił, sądownie za umarłego uznanym zostanie. Edykt rozpisanym być ma z terminem jednego roku, i zamieszczonym przynajmniej 3. razy w publicznych gazetach krajowych, wedle okoliczności i w zagranicznych.“

Kiedy zawyrokować? §. 25. Odz. I. „Po bezskutecznym upływie zakreślonego powyżej przeciągu czasu, za *powtórnem żądaniem* pozostałego małżonka sąd po zamkniętej rozprawie orzec powinien, czyli do żądania prośby przychylić się należy lub nie. Wyrok przedłożonym być ma sądowi wyższemu, który zakommunikuje akta Biskupowi Dyecezyi, gdzie wnoszący prośbę, mieszkanie swe ma.“

Kiedy odrzucić prośbę? „Jeżeli tak pierwsza Instancya jak sąd wyższy (Obergericht) czyni orzeczenie przeciw uznaniu zgonu, a Biskup zgodne z tem daje oświadczenie, w ówczas prośba odrzuconą być ma. Przeciw takiemu rozstrzygnieniu nie ma już dalszego powołania.“

Kiedy do najwyższego Trybunału (Oberster Gerichtshof) **wytoczyć sprawę?** §. 26. „W wszelkich innych przypadkach orzeczenia instancyi pierwszej i drugiej wraz z aktami przedłożone być winny najwyższemu Trybunałowi.“

---

nunc esse mortuos. Et si rospondeat, mortuos fuisse in aliquo hospitali vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiae, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes. Decr. Congr. S. Off. de 21. Aug. 1674. a Clemente X. approb, et 25. Decbr. 1827. ad omnes Eppos transmiss. n. 11.

*) Tenże §. między innemi orzeka: „Jeśli miejsce pobytu jego przez 30 lat niewiadome, jeźli podczas potyczki mocno zraniony został, albo jeśli podczas rozbicia na okręcie albo w innym bliskiej śmierci przypadku się znajdował, a od tego czasu przez 3. lata nie pojawia się.

Dalsza procedura. §. 27. „Jeżeli Biskup oświadczenie swe ku uznaniu zgonu objawił, Trybunał najwyższy wydać ma ostateczne rozstrzygnienie.

Jeżeli wyrok Biskupa w sprzeczności z wyrokami niższych instancyi przeciw uznaniu zgonu wypadł, trybunał najwyższy w razie, gdy przystępuje do oświadczenia Biskupa, orzeczenie wydać ma na odrzucenie prośby; wrazie zaś, gdyby trybunał ten nie mógł się przychylić do zdania Biskupa, rozprawę zakomunikować winien Sądowi *metropolitańskiemu.*

Jeżeli sąd ten ze zdaniem Biskupa się zgadza, wówczas trybunał najwyższy odrzucić powinien prośbę o uznanie zgonu.

W razie przeciwnym sąd metropolitański przedłożyć winien przedmiot *3ciej kościelnej Instancyi* w sprawach małżeńskich, którego tedy orzeczenie za prawidło służyć będzie przy roztrzygnięciu najwyższego trybunału sądowego.“

Ulterior instructio pro judiciis Esiae hoc in puncto.

Decisio §. 247. „Quamprimum superius provinciæ Judicium (Obergericht) peracta communicaverit, Tribunal matrimoniale præsente matrimonii Defensore dijudicabit, an conjux, cujus fata ignorantur, eo cum effectu, ut alteri parti ad novas transire nuptias liceat, mortuus censeri possit. Decisio ferenda nunquam non Episcopi judicio subjicienda est.“

Quando negativa, quando positiva mortis declaratio.

§. 248. „Quoties Tribunal matrimoniale, certitudinis moralis, ad quam provocatur, fundamentum haud ita firmum esse judicet, ut ligamen conjugale morte solutum esse absq. hæsitatione teneri possit, mortis declarationi enuntiandæ assensum denegabit et rationum, quibus commovetur, momenta Judicio civili communicabit. Quodsi 2da et 3tia Instantia Estica oppositam sententiam amplectantur ac eisdem assensum præbentibus supremum Tribunal civile mortis declarationem pronuntiet, novis contrahendis nuptiis nullum obgeratur impedimentum.“

Supplicanti sententia quando communicanda.

§. 249. „Quando Tribunal matrimoniale censeat, nil novis ineundis nuptiis obesse, hos quidem sensus suos Judicio Provinciae superiori significet, ad conjugem tamen nullam dirigat communicationem, antequam mortis declaratio relate ad effectus civiles firma consistat.“

Quid in libro Copulationis desuper adnotandum.

§. 250. „Si ad novas transitur nuptias, parochus tam mortis declarationem a magistratu civili editam, quam decisionem Tribunalis matrimonialis, respective assensum, quem superior Instantia Estica præbuit, in libro nuptiarum adnotare debet.“

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 7. Februar. 1857.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski, Tarnoviæ.